DE

VITALI BLESENSI

DE

VITALI BLESENSI

DISSERUIT

IN FACULTATE PARISIENSI

A. BOZON

IN CARMELITARUM SCHOLA QUONDAM ALUMNUS.

PARISIIS

EX TYPIS E. PLON ET SOCIORUM

VIA DICTA GARANCIÈRE, 8

MDCCCLXXVIII

PRESTANTISSIMO ET PROBATISSIMO VIRO

G. L. MERCIER

IN SUPREMA CURIA PRÆSIDI

TESTIMONIUM GRATISSIMÆ OBSERVANTIÆ

A. B.

DE

VITALI BLESENSI

PROOEMIUM.

Compertum est omnibus quanta fuerint medio ævo poeticæ latinæ studia, quamque multi sese ad eam excolendam contulerint, atque hac via et arte, illis temporibus, non ignobilem adepti sint laudem. Nonnulli etiam tanto in honore fuere, ut in scholis grammaticorum una cum optimis antiquitatis scriptoribus ediscerentur, et omnium consensu eumdem locum obtinerent. Quorum in numero Vitalem Blesensem fuisse traditum est, et eumdem eximiam inter æquales assecutum esse famam. Laudat enim hunc aliosque plurimos ejusdem fere ætatis in quodam de *Versificatione* carmine [1], Eberhardhus Bethuniensis auctores recensens quibus tum « os tenerum pueri balbumque » figurare solebant [2], atque recentiores hos ipsis

[1] FABRICIUS, *Bibliotheca latina*, t. I, lib. IV, p. 74.

[2] Fabricius testatur Gualterium de Castellione qui Gesta Alexandri Magni versu heroico perscripsit, in scholis grammaticorum tantæ olim fuisse dignitatis, ut præ ipso veterum poetarum lectio negligeretur. (*Bibliotheca latina*, t. II, p. 113.) Apud eumdem auctorem, Petrus Blesensis narrat se adolescentulum a magistro suo jussum Hildeberti Cenomanensis epistolas plerasque, ob styli elegantiam et suavem urbanitatem, memoria firmasse et corde tenus reddidisse. (*Ibid.*, t. II, p. 117.)

præstantissimis veteribus poetis anteferre videtur. Ita ille, in eorum versificatorum enumeratione præ quibus sordebat antiquitas de Vitalis *Amphitryone* loquitur:

Ludit Geta gemens, quia captus Mercuriali
Arte Jovem lectus Amphitryonis habet [1].

Sed is noster nimis forsan sibi credens, non aliena fuit laude contentus, et quæ olim data erat venia et in morem prope perducta, ut egregia ingenia de se ipsis gloriosius prædicarent, hanc sibi profecto vindicavit; atque ut Thucydides rerum gestarum pronuntiator sincerus et gravis, in historiæ ingressu, sese ait κτῆμα ἐς ἀεί [2] perficere velle, vel Lucretius quasi divino quodam spiritu inflatus magna in laude ponit se obscura de re tam lucida pandere carmina, musæoque contingere cuncta lepore [3], aut etiam Horatius excelsiori atque elatiori animo suam ipse perennem gloriam celebrat,

Exegi monumentum ære perennius...
Non omnis moriar [4],

sic Vitalis ille noster nomen suum extollit, ipsumque Plautum insignem poetam quasi patrocinio tutari videtur :

Curtavi Plautum ; Plautum hæc jactura beavit,
Ut placeat Plautus, scripta Vitalis emunt [5].

Vere quidem incultus fuit et agrestis versificator ille qui laudem Plauti jam prope senescentem, ut putabat, ab oblivione hominum atque a silentio vindicare in animo habuit. Non enim is alieno unquam eguit auxilio, ut

[1] *Bibliotheca latina,* t. I.
[2] Thucyd., *Hist.,* lib. I, cap. xxii.
[3] Lucretius, lib. IV, v. 8-9.
[4] Horat., *Od.,* lib. III, xxiv, v. 1-6.
[5] Vit. Bles., I, *Aulul.*, v. 26-27.

famam posteris commendaret. Comœdiæ vero latinæ princeps forsan exstitit, « ejusque sermone Varo Musas locuturas fuisse aiebat, si latine loqui vellent[1] ». Nonne idem artis suæ palmam aufert, cum parasitos edaces, lenones malæ industriæ deditos, servosque omnium vitiorum contagione infectos inducit, aut cujusquam personæ formam ac lineamenta effingit? Quin etiam apud eum omnia vivunt, moventur atque ante oculos legentis versari videntur. Ad summum, ejus comœdiæ omnibus fere hujus generis virtutibus refertæ sunt. Nitor autem extremaque in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsi defuisse, et si vixisset ætate Cæsaris aut Maronis, cum jam oratio latina maturitatem suam absolutamque perfectionem obtinuerat, nescio an habuisset parem neminem; et quidem eiita dediti adhuc sunt quidam amatores, ut primas inter omnes ejusdem operis auctores tribuere non dubitent. Si autem ad illius exemplum Vitalis omnes ingenii vires direxisset, fabulasque noctes atque dies in manibus habuisset, forsitan inter utrumque aliqua agnosceretur cognatio, quamvis de industria non fuisset quæsita. Nam ut, Antonius præstantissimus ille orator, sæpius a Tullio laudatus, dicere solebat, cum in sole ambularet, etiamsi ob aliud ambularet, fieri tamen natura, ut coloraretur, et simili modo, cum Græcorum libros studiosius legeret, sentiebat orationem suam illorum tactu quasi colorari[2], sic Vitalis, si in earum lectione comœdiarum quas imitari concupivit, conquievisset, illasque diligentius tractasset memoriæque affixisset, colorem quemdam verborum atque sententiarum etiam

[1] Quint., lib. X, cap. vi.
[2] Cicero, *De oratore*, lib. II.

invitus profecto retinuisset. Ejusmodi autem imitationis nulla exstant vestigia, et libenter crediderim illum nunquam Plauti fabulas vel levissime inspexisse. Nec mirum est. Nam ea fuit illorum temporum inscitia atque barbaries, ut multi pro doctis habiti de veteribus comicis loquerentur, quorum vix nomina cognoscerent, neque ulla opera perlustrassent[1]. Unde suspicari licet quali situ ac rubigine squalerent litteræ et quantum ab illo more antiquo latine dicendi consuetudo degeneravisset. Vitali quidem cum aliis multis communia illius ætatis vitia fuere, nec pauca barbariæ vestigia in ejus carminibus insunt. Sed præstantissimis quibusdam scriptoribus operam dedit impensam, et quamvis Plauti comœdias ne in manibus quidem habuisse videatur, Virgilii tamen, Horatii aliorumque egregiorum poetarum orationem emendatam, imitari conatus est, optimaque illa studia ab omnibus fere derelicta, ut potuit, quasi liberali custodia septa tenuit, atque ex eis quamdam dictionis sanitatem et integritatem duxit. Itaque ejus scripta utique digna sunt quæ legantur, et nobis modo diligenti cura perspicienda, postquam de ejusdem vita et ætate pauca præfati erimus.

[1] Edelestand du Méril, *Origines latines du théâtre moderne*. Introduct., p. 33 : « Les connaissances classiques étaient devenues une sorte de curiosité qui n'appartenait plus qu'à de rares érudits... et beaucoup tranchaient du savant en parlant des anciens comiques, qui ne connaissaient rien que leur nom. Les plus lettrés eux-mêmes ignoraient jusqu'à l'idée et la forme de leurs ouvrages. »

CAPUT PRIMUM.

DE VITALIS ÆTATE, VITA ET NOMINE.

Incerta sunt usque ad hanc diem Vitalis Blesensis tempora et inter doctissimos scriptores qua ætate natus sit atque vixerit, ambigitur. Sunt qui ei XIII^um aut etiam XIV^um seculum assignent [1], sed in hoc falluntur, et istius sententiæ nulla afferunt indicia, aut si qua afferunt, ea probe falsa sunt et omnino rejicienda. Nam consentiunt omnes quibus Vitalis aliquatenus innotuit, eum saltem XII° seculo exstitisse. Frid. Osannus, olim professor Gissiensis, per quem Vitalis scripta in lucem emissa sunt, hujus sententiæ in primis est auctor, et quidem idoneus [2]. ex duobus autem quæ ad hanc tuendam adhibentur testimoniis, unum a Matthæo Vindocinensi sumptum est, in cujus libro *Æquivocorum* nomine inscripto legitur versus ille :

Birria qui nimis est lentus asellus erit,

ex Vitalis Amphitryone excerptus; ac proinde scriptorem hunc Matthæo Vindocinensi qui forsitan eum non novit, teste Osanno, et qui circa finem XII^i seculi aut initium sequentis mortem obiit, natu majorem existimare debemus [3].

[1] Vide opus cui titulus : *Histoire littéraire de la France,* tom. XXII p. 45.

[2] VITALIS, *Amphit. et Aulul.*, per Osan. ed., p. VIII et sequent.

[3] *Ib.,* p. 8 et 9.

Jam vero alterum testimonium suppeditavit Jeremias Paduensis, qui *Compendium* quoddam moralium *notabilium* scriptum reliquit, et in præfixo huic operi syllabo auctorum, ex quibus compilatum esse compendium fatetur, illa deinceps nomina inter alia plurima referuntur:

> Versificator fabularum esopi (sic)
> Johannis Solobriensis (Saresberiensis) anglicus
> Auctor libelli qui dicitur facetus
> *Auctor libelli* qui incipit *Græcorum studia*
> (Quæ prima sunt *Amphitryonis* verba.)
> . . . .
> Hugo de Sancto Victore religiologus.

« Parcissime tamen, inquit Frid. Osannus, carmine nostro, quod quarto loco laudatur, usus esse », et etiam ipsius auctoris nomen Jeremias « qui anno 1300 vita decessit, ignorasse videtur », ceterum in syllabo scriptorum haud temere, sed, ut ipse ait[1], « secundum temporum rationem confecto, post Johannem quidem Sarisberiensem[2], sed ante Hugonem tamen (nam de reliquis difficilior quæstio est) collocans, seculum ei fere medium assignasse putandus est[3] ».

Equidem non plane accesserim ad eam sententiam, et ex his duobus testimoniis quæ modo recensuimus, Vitalem et seniorem et ineunte forsitan XII° seculo, non autem adulto exstitisse libentius conjecerim. Nam Jeremias et Matthæus laudant quidem *Amphitryonis* versus,

[1] VITALIS, *Amphit. et Aulul.*, in notula p. VIII apud Osan. legitur : « Syllabo præmittuntur hæc verba : Nomina aut orum vel librorum, ex quibus compilatum est hoc compendium secundum ordinem ætatum. »

[2] Alii dic nt : Saresberiensem ex provincia *Severiæ*, apud Demimuid : *Jean de Salisbury*, p. 4, not. 4.

[3] VITALIS, *Amphit. et Aulul.* per Osan. edit., p. 8.

sed de ipso Vitali tacent; nec perperam, ut supra dictum est, ejus nomen ab utroque ignoratum esse existimaverim, eo magis, quod Matthæus qui, ut illis temporibus, et litteratus et eruditus fuit, *Amphitryonem* seu *Getam*, ut voles, Ovidio assignat. Unde credendum huic poetæ carmen illud jam tum tribui solitum (sæpius enim ejus operibus in vetustis codicibus adjectum idem legitur), Vitalemque ex hominum memoria exiisse penitusque evanuisse. At ille medium circa XII^{um} seculum si floruisset, laudemque illam assecutus esset quam ipse commendat, non fuisset multo major natu quam Jeremias Paduensis ac Matthæus Vindocinensis; atque hic ex eadem fere regione cum esset oriundus (Blesi enim Vindocinium non ita lato distat spatio) cumque carminibus eminentem inter æquales obtineret locum, eorumdem studiorum consortem atque æmulum sine ulla dubitatione novisset.

Quare conjectura ducor ad suspicandum plurimos inter utriusque ætatem interjectos esse annos, Vitalemque ad tempora initiis XII^{i} seculi proxima repeti posse. Cum hoc quidem meo judicio testimonium illud Eberhardi Bethuniensis de quo jam supra [1], satis congruit. Nam ex eo qui an. 1124 opus quoddam edidit, *Græcismi* titulum præferens [2], accepimus Amphitryonem « arte Mercuriali deceptum », ut ipse dicit, illa ætate in scholis edisci solitum. At non statim ut prodiere in lucem, pueris ediscendis traduntur carmina etiam optima, nec eis protinus patet aditus scholarum. Exspectatur autem judicium doctorum

[1] Procem, p. 1.

[2] « Eberhardus Bethuniensis... dictus *Græcista*, quia anno milleno centeno bis duodeno condidit *Græcismum*. » Apud Fabr. Biblioth. Lat., tom. I, p. 75.

atque prudentium, et mos est ut eorum probatio saltem in aliquod differatur tempus. Quin etiam idem Eberhardus illius nomen omittit ac nesciisse videtur, cujus versus puerorum mentibus ait hærere *pene recentes*.

Id quoque me impulit ut Vitali initia xii[i] seculi indicerem, quod, quæ in ejus scriptis tractantur quæque legentes maxime delectant, ea utique consentiunt cum acerrimis rerum philosophicarum atque dialecticarum studiis quibus multi operam dabant impensam, interdumque in pessimorum errorum pestes impellebantur. Ea instituta atque eæ disciplinæ tanquam arma insueta erant quorum fulgore ingenia adhuc inexercitata perstringebantur. Nam traditum est circa ultima xi[i] seculi decennia e vita cessisse Berengarium illum qui toties hæreseos damnatus est et cujus interitu quum reliquæ artes, tum philosophiæ instituta orba atque derelicta visa sunt[1] : eodemque anno quo ille obiit, Roscelinum qui haud minorem adeptus erat laudem, *Nominaliumque* sectæ habitus est princeps, in *concilio Suessionensi* sancta Ecclesiæ auctoritate quasi fulmine perculsum esse[2] atque in An-

[1] Memoriæ proditum est Berengarium, post varios casus variamque ac miseram fortunam ad meliorem mentem atque voluntatem conversum esse, optimarumque virtutum studio et cultui sese totum dedisse. Itaque ejus laudes his versibus celebravit Hildebertus Cenomanensis :

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis
Ille Berengarius non obiturus obit...
Quidquid philosophi, quidquid cecinere poetæ
Ingenio cessit eloquioque suo.
Vir sacer et sapiens, cui nomen crescit in auras
Quo minor est quisquis maximus est hominum...
Vir pius atque gravis, vir sic in utroque modestus
Livor ut in neutro rodere possit eum.
Livor enim deflet: quem carpserat antea, nec tam
Carpsit et odit eum, quam modo laudat, amat...
Post obitum vivam secum, secum requiescam.

[2] Anno 1092.

gliam profugisse : iisdem etiam fere temporibus, prima impressa in his philosophiæ curriculis Abailardi vestigia qui mature in locum principum doctorum venit, cumque adhuc junior jam quasi quadrigis per medios laudes veheretur, incurrit in reprehensiones doctorum atque mox e scholarum spatiis expulsus est[1]. Verumenimvero scimus illorum illustrium doctorum erroribus atque controversiis totam pene Europam occidentalem commotam atque convulsam esse.

Disputationibus autem ejus modi Vitalis scripta referta sunt, et in primis *Amphitryon* qui olim tantum laudis meruit. In eis enim acrius irridetur atque carpitur philosophorum arrogantia qui omnia naturæ atque sacræ religionis mysteria dialecticæ suæ cancellis comprehendere atque circumscribere tentabant, et satis apta videntur eadem his temporibus, cum illi doctores, de quibus modo dictum est, tot et tantas moverunt controversias, ingentesque molestiarum fluctus et turbulentissimas tempestates in se ipsos concitarunt. Qui se huic nostræ adscribet conjecturæ, utique intelliget, cum tanta esset rerum præteritarum atque memoriæ traditarum inscitia, Vitalis nomen ab eis ignoratum esse qui circa XII[i] seculi finem scripta laudarent, eumque forsan circa ejusdem seculi initia exstitisse, quod tamen pro certo affirmare non ausim.

Fuere etiam qui Vitalem multo seniorem atque Hrotsuitæ, quæ ad Terentii exemplum sacras fabulas X° seculo expressit[2], saltem æqualem fuisse arbitrati sint. Hujus quidem sententiæ documento fuit codex

[1] Vid. *Abélard* apud de Rémusat, lib. I, p. 21-22. Anno 1113 Abail. ex sch. Paris. primum expulsus est.

[2] Vid. Edel. du Méril, *Origines latines du théâtre moderne*, p. 16.

quidam in Bibliotheca Bernensi servatus, quem Sinnerus x° seculo descriptum esse existimavit[1]. In quo tantus error Sinneri fuit, ut Hagen harum rerum diligentissimus investigator, in *Novo Codicum Bernensium Catalogo,* tres quidem enumeret codices quibus *Getæ* seu *Amphitryonis* nomen præfixum est, sed eos non supra xv^{um} seculum referendos censeat[2]. Ista igitur opinio nullo confirmata certo indicio utique rejicienda est.

Hæc quidem incerta et ambigua, ut potui, de ætate Vitalis, expedii. De vita autem quid dicam vix habeo. Nam difficile est plus intelligere quam quantum ex monumentis suspicari licet. Verum nulla monumenta, nulla testimonia fere de Vitali loquuntur, nullaque mentio est, præter ea quæ supra attuli, apud scriptores qui earum rerum quæ tum gestæ sunt, historiam litteris mandarunt. Ii tamen fatentur omnes eum Blesi natum esse; ego vero libenter, eadem in urbe, festivum hunc *Amphitryonis* auctorem ætatem egisse putaverim. Nam plurima tum ibi erant monasteria, et Beata Maria Blesensis abbatia in primis turpissimam quamdam adepta erat famam. Cujus ecclesiæ servitio, ab anno saltem 996, canonicos seculares deputatos fuisse, in *Gallia Christiana,* traditum est, sed in eamdem propter secularium canonicorum enormitatem lubricosque gressus introductos regulares an. 1123. Vitalis autem iis forsan secularibus canonicis annumeratus est qui in Carnotensis episcopi re-

[1] « Un manuscrit (son *Geta*) conservé à Berne est indiqué par M. Sinner comme écrit au dixième siècle ; ne fût-il même que du suivant, il reporterait encore Vital à une époque antérieure à celle que lui avaient assignée Fabricius et les auteurs de l'*Histoire ecclésiastique.* »

[2] *Novus Codicum Bernensium Catalogus,* p. 623, *Geta,* 539-5; 550-33; 702-30.

prehensiones incurrerunt et abbatia expulsi sunt[1]. Nam vix eum temere dicas mores suos fassum esse, cum fœdis amoribus Amphitryonis argumentum inquinaverit. Quæ dubitanter afferuntur certisque egent indiciis; tantum suspicari licet Vitalem cognomine Blesensem appellatum esse, quod Blesi natus esset.

[1] *Gallia Christiana*, tom. VIII, p. 1388. « In eamdem ecclesiam propter secularium canonicorum vitæ enormitatem lubricosque gressus, si Petro Blesensi et Stephano Tornacensi fides, a Gaufrido Carnotensi episcopo introducti sunt regulares, datæque sunt eis ecclesiæ Burgi-Medii et Sancti Carilesi a Theobaldo comite Blesensi, approbante Callixto II, summo pontifice, an. 1123. »

CAPUT SECUNDUM.

DE VITALIS SCRIPTIS ET DE POETICÆ GENERE AD QUOD EA ADSCRIBI DEBEANT.

Duo sunt Vitalis scripta quæ vetustatem pertulerunt et usque ad hanc nostram ætatem servata sunt. Eorum unum *Amphitryon* præscribitur, alterum *Aulularia,* in cujus prologo Vitalis ipse utriusque sese auctorem esse profitetur :

> *Amphitryon* nuper, nunc *Aulularia* tandem
> Senserunt senio pressa Vitalis opem[1].

Quæ carmina cum primum vulgata sunt, magnum sibi conciliavere favorem, ut ex ipso auctore perspici potest atque scriptoribus, qui *Amphitryonis* et *Aululariæ* versus referunt atque laudant. Nec hujus modi res nobis mira videri debet. Ea enim est hominum natura, ut omnibus eos præferant qui aliorum vitia et in primis æqualium reprehendant atque irrideant ; nec minus iis qui inculti sunt atque inurbani ridicula sales atque facetiæ placent, quam iis qui liberaliter educati atque omni doctrinæ optimarumque artium ubertate ac lepore exculti et expoliti sunt. Quirites prisci « fortes parvoque beati », ut ait Horatius, condita post frumenta cum dies festos agerent corpus animumque ipsum levandi causa,

[1] *Aulul.*, v. 27-28.

tum primum ex maledicis carminibus ceperunt voluptatem :

> Fescennina per hunc inventa licentia morem
> Versibus alternis opprobria rustica fudit;
> Libertasque recurrentes accepta per annos
> Lusit amabiliter[1].

Majores quoque nostri, quantumvis essent rustici, a Vitali multum relaxati atque in hilaritatem et risum traducti, cum is philosophorum æqualium arrogantiam insequeretur et in primis eorum qui paulum aliquid ultra prima elementa progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerant et dialecticorum artificiis quibus perperam utebantur, intolerabili quadam arrogantia intumescebant[2].

Vera atque festiva horum simulacra cum favore atque sollicitudine legentium turba excepit, cum ea in medium emissa sunt, Vitalisque nomen magnopere commendarunt. Sed habent sua fata libelli. Postquam faceta illa carmina sæpius descripta, ut plurimi codices qui adhuc exstant in præcipuis Europæ bibliothecis, testantur, in diuturnam oblivionem venerunt; nec inde eorum ulla mentio facta est ante xvi^um^ seculum; quod cum jam vergeret ad finem, tum *Aulularium* primum typis Hieron. Commelinus mandare curavit : qui scriptum illud *Querolo Plautino* de quo infra dicetur, a Conr. Rittershusio tum edito subjunxit, ut ex hac ipsius ad Rittershusium epistola perspici potest : « Gratum acceptumque habemus, Rittershusi amicissime, *Querolum* tuum cum

[1] Epist. I, lib. II, v. 145-148.

[2] Multi erant hujus modi philosophi xii° seculo quos J. Saresberiensis in opere suo *Metalogici* nomine inscripto acrius carpit atque lacessit. Vid. Demimuid in libro cui titulus: *J. de Salisbury*, p. 130 et seq.

D. Joachimi Camerarii mss. collatum. Quidni enim tuum vocemus, quem quasi postliminio ab ipso revocasti orco? Cui ne parum videamur habere honorem, en tibi redhostimentum alterum *Querolum* ex tuo illo natum, et jam recens a nobis in lucem editum, diverso tamen a parente habitu [1]. » *Querolus* hic ab illo antiquiore natus, est ipsa Vitalis *Aulularia*. Ejus autem prologus quamvis saltem alterum carmen ab eodem Vitali profectum esse admoneret, is tamen, longo intervallo, unius *Aululariæ* habitus est auctor, nulliusque in mentem veniebat *Amphitryonem* illum qui olim tam popularem esset assecutus famam, in bibliothecarum thesauris conquirere. Hunc vero Em. Card. Maius nostra fere ætate primum evulgavit, eique nomen de *Amphitryone* et *Alcmena poematis* præscripsit [2]. Quæ editio cum nondum omnibus vitiis purgata esset, et quædam etiam carminis partes desiderarentur, eam plurimæ editiones consecutæ sunt quarum forsan optimam Osannus in lucem emisit. Ipse nos edocet in procemio quæ sibi fuerit illius laboris suscipiendi occasio. Cum in bibliotheca Darmstadiensi, de Amphitryonis et Alcmenæ poemate a Maïo nuper edito, sermonem haberet cum Federo amico qui huic litterarum thesauro præfectus erat : « Is, inquit Osannus, codice quodam Darmstadiensi idem servari illico me monuit, et quidem uno alterove loco integrius ; quod quam verum esset, allato sine mora codice confirmatum vidimus. Diligentius vero eo cum Maii exemplari collato intellexi, non uno sed permultis locis lacunas, quæ in carmine typis impresso reperiantur, egregie expleri, prætereaque omnem

[1] PLAUTI *Querolus* a Commel. edit., p. 54.

[2] *Amphit et Alcm. Eclog.*, apud Osan., p. v.

verborum scripturam turpissimis vitiis laborantem emendari. Itaque consilio statim capto, poematis novam editionem principe auctiorem limatioremque adornandi... contigit primum, ut, penso fere jam absoluto, inter ejusdem bibliothecæ thesauros etiam alter codex reperiretur, fine quidem mutilus, in reliqua vero opusculi parte integritate scripturæ altero haud deterior : unde totus jam labor denuo instaurandus hunc certe fructum tulit, ut carmen innumeris locis correctum, quinquaginta et amplius versibus auctum, nova pene forma nunc in lucem emitti possit. Præterea nomen post primam denique plagulam anno proximo typis descriptam, ipsum etiam auctoris nomen, et Maio desperandum visum, et multis jam ante seculis ignoratum, tamen non nuper a Jannellio tantum ex codice Neapolitano vindicatum, sed locupletiore quoque Medicei dudum inter Bandinianos testimonio servatum deprehendimus ; unde factum est, ut omnis fere opella mea iterum retractanda alterius insuper carminis ab eodem auctore profecti accessione augeretur [1]. » Hæc autem Frid. Osanni editio cum accuratius ad quindecim fere codices collata sit variis e regionibus arcessitos, ei prorsus fides habenda [2], ac proinde reliquas quæ recentius vulgatæ sunt describere ac laudare, utique supervacuum est [3].

[1] *Amphit. et Aulul. Eclog.*, apud Osan., p. 5 et 6.

[2] *Ibid.*, p. 12-16.

[3] In tom. XXII, p. 42 et seq., operis cui titulus est : *Histoire littéraire de la France*, hæc leguntur : « Le texte (de l'*Amphitryon*) fut enfin publié pour la première fois, en 1833, par M. Maï, d'après un manuscrit du Vatican, écrit sur parchemin au quatorzième siècle, où il est placé entre l'*Eglogue* de Théodule et la *Psychomachie* de Prudence. Trois ans après, M. Endlicher, plus hardi, en donnant à la copie de la Bibliothèque impériale de Vienne le titre de *Carmen de Amphitryone et Alcmena*, ne balance

Duo igitur scripta quorum uni titulus est *Amphitryon,* alteri autem *Aulularia,* tribuenda sunt Vitali.

Tertium etiam carmen *Comœdia Babionis* inscriptum, ejusdem esse auctoris quidam volunt, ad quorum sententiam accedere videtur J. V. Leclerc qui non ita pridem hujus Facultatis Parisiensis decanus fuit, vir quum uberrimis litteris ornatus, tum antiquitatis nostræ diligens investigator et in primis scriptorum veterum peritissimus interpres[1]. Ad hanc autem tuendam sententiam non illa firma ac robusta quæ omnem dubitandi rationem tollunt, testimonia afferunt, sed tantum quædam ambigua indicia. Aiunt enim *Comœdiam Babionis* Vitalis *Amphitryoni* et *Aululariæ* in codice quodam bibliothecæ Bodleianæ adjectam legi, versibus quoque elegiacis expressam esse atque eamdem fere latinæ dictionis et orationis colorem retinere. Sed sæpius olim in eosdem codices colligebant scripta diversis ab auctoribus perfecta, ut supra vidimus Ovidii operibus diutius annexum esse ipsius Vitalis *Amphitryonem.*

Nec illius poetæ proprius fuit versus elegiacus, sed pluribus communis qui ejus modi scripta posteris reliquere, ut indicium est Matthæi Vindocinensis *Miles gloriosus;* nec hunc Vitalis primus adhibuit, sed cum a multis

pas à l'attribuer à Matthieu de Vendôme... Osann reconnaît Vital de Blois l'auteur de l'un et de l'autre ouvrage, et il en avait le droit, puisque le versificateur du *Querulus* ou de l'*Aulularia,* qui se déclare aussi celui de l'*Amphitryon,* est expressément nommé dans deux manuscrits du quinzième siècle, l'un de Naples, qui appelle l'*Amphitryon:* Comœdia Vitalis Blesis ; l'autre de Florence, qui termine le poëme par ce vers qu'on lit également dans le manuscrit 8-413 de la Bibliothèque nationale de Paris : « Vitalis Blesis explicit *Amphitryon* ».

[1] *Histoire litt. de la France,* tom. XXII, cap. de Vitali Blesensi, sub fine.

temporum illorum scriptoribus usurparetur, eodem et ipse usus est. Vitalem vero non *Comœdiæ Babionis* auctorem esse eo perspicuum est, quod præcavere voluisse videtur in *Aululariæ* prologo, ne ipsi alia carmina adscriberentur, cum sese et *Aululariæ* et *Amphitryonis* parentem esse professus est. Adde etiam Vitalem antiquorum amatorem sese dicere, suasque fabulas per Plauti vestigia investigasse. At in *Comœdia Babionis* res recens describitur quæ prorsus multis innotuerat et eadem ætate peracta erat. Denique dicendi generi et orationis colori non multum immorabimur. Ea enim erat tum scribentium imperitia, ea barbarie eoque veterno infuscata erat oratio, ut ex dicendi ratione dictionisque virtutibus vix dijudicari possit cui tribuenda sint scripta quæ nec auctoris nomen nec ullum aliud certum præ se ferant indicium.

Non igitur Vitali adscribenda est *Comœdia Babionis*.

Amphitryonis vero atque *Aululariæ* tantum ille auctor reputari debet.

His tamen duobus quæ feruntur ejus carminibus commœdiarum nomen ipse præposuit. Sed penitus ignorasse videtur quæ sit comici generis ratio et virtus. Ejus enim proprium est personas inter se diversas effingere atque inducere, remque in certum actuum ac scenarum ordinem digerere ita ut actores fabulam dicendo et respondendo agant, et quum verbis gestu motuque corporis venusto, tum ridiculis salibus omnique vi comica spectantes erectos intuentes teneant, donec extremus fabulæ actus penitus peragatur. Nulla autem fere in Vitali cum illis carminibus communia sunt; a quibus ejus opus et dispositione

et institutione omni utique differt. Non enim rem agendam in scenam misit; sed eam narrat atque pronuntiat more eorum qui fabellam aut historiam quamdam perscribunt, et si quando dialogo locus est, ea verba: « respondet, refert, dicit, subjicit[1] », aut alia similia quæ versibus interponuntur, partes cujusque actoris indicant.

Quin etiam *Aulularia* in libros non autem in actus atque scenas divisa est[2]. Pro certo igitur tenendum Vitalem poemata sua non docuisse nec doceri voluisse. Adde spectacula, multis jam ante seculis, sublata esse, nec ulla tum comici tragicive generis vestigia superfuisse.

Quæ sententia saltem verisimilis est nec contemnendis innixa indiciis. Nam constat scenicos quidem ludos qui tanto in honore fuerunt apud Athenienses populumque hunc omnium artium inventorem et parentem tam delectarunt, apud Romanos non multum laudis habuisse. Plebecula indocta et stolida, « media inter carmina », poscebat « ursum et pugiles » pluresque in horas premebantur teste Horatio aulæa, dum fugiebant « equitum turmæ peditumque catervæ[3] »: et cum fabula ageretur fere semper currus, cohortes, armaturaque varia popularis admirationis commovendi causa transibant[4]. Itaque præstantissimi poetæ jam non fabulas ad scenam

[1] Vid. *Amphit.*, passim.

[2] *Aulularia* in quatuor libros ab ipso auctore divisa est.

[3] *Epist.*, lib. II, I, v. 183-193.

[4] Tullius in epist. 1ª ad Marium describens ludos a Pompeio populo datos an. 699, ait « Ne id quidem leporis habuerunt, quod solent mediocres ludi. Apparatus enim spectatio tollebat omnem hilaritatem. Quid enim delectationis habent sexcenti muli in *Clytæmnestra?* aut in *Equo Trojano* craterarum tria millia? aut armatura varia peditatus et equitatus in aliqua pugna? Quæ popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attulissent. »

scribebant. Quintilianus quidem laudat Varii Thyestem Ovidiique Medeam et poemata tragica Pomponii Secundi quem ait eruditione ac nitore eminentem fuisse. Sed nullus ex istis poetis fabulas suas docuit[1]. Ceterum quis ignorat quantum irrideantur in *Dialogo de Oratoribus* scenici scriptores quorum ea tum erat fortuna, ut, quum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extulissent et elucubravissent, rogare ultro et ambire cogerentur, ut essent qui dignarentur audire[2]. Quales fuerint fabulæ ea ætate in lucem emissæ, e Senecæ tragœdiis perspici maxime potest[3].

Nec ab eo genere excolendo tantum poetæ deterriti sunt, quod spectantibus mediocrem afferrent delectationem; sed cum Religio Christiana jam longe lateque flueret et in dies cresceret atque augeretur, Sancti patres paganorum fabulas et spectacula vehementius insecuti sunt, quod in eis multa inhonesta atque turpia fingerentur et laudibus in cœlum Deorum fædi amores extollerentur. Unde illa ludicra magis atque magis obsolevere et ab astantibus sunt derelicta : « Per omnes civitates, aiebat sanctus Augustinus, cadunt theatra, cadunt et fora et mœnia in quibus dæmonia colebantur. Unde enim cadunt, nisi inopia rerum, quarum lascivo et sacrilego usu constructa sunt[4]. » Quæ superfuerant hujusmodi spectacula a barbaris deleta ipsaque theatra eversa sunt, eaque invaluit quum litterarum, tum scenici generis insci-

[1] Caput, IX.
[2] Vide D. NISARD, *Études sur les poëtes latins de la décadence*, tom. I, p. 132-135.
[3] *Ib.*, pag. 135 et seq.
[4] *De Consensu Evangel.*, lib. I, cap. XXXII.

tia, ut etiam qualia essent ejus præcepta ignoraretur. Nam cum in densissima mediæ ætatis nocte, viri, ut illis temporibus, litterati, tragœdiæ et comœdiæ aliquam operam dare tentaverunt, his vocibus sensum accommodare solebant ab illo prorsus diversum quem utrumque carminis genus apud antiquos obtinebat. Nam Dantes summus ille poeta in epistola ad familiarem quemdam insigni illi De Paradiso operi præfixa, exposuit quibus poematibus tragœdiæ et comœdiæ nomen ætate sua tribueretur. « Est comœdia, inquit, genus quoddam poeticæ narrationis ab omnibus aliis differens. Differt ergo a tragœdia per hoc, quod tragœdia in principio est admirabilis et quieta, in fine sive exitu, fœtida, horribilis... Comœdia vero inchoat asperitatem alicujus rei, sed ejus materia prospere terminatur[1]. » Quot igitur genera poeticarum narrationum, tot et tragica comicave erant carmina.

Ex iis vero quædam versibus elegiacis expressa seorsim ponenda, quibus laudem sibi Vitalis comparavit. Hujus quidem generis non inventor fuit. Sed cum a multis adhiberetur, eodem ipse usus est. Quod primus adhibuisse videtur Rodulphus Tortarius qui XI° seculo quasdam non ita injucundas metro elegiaco expressit epistolas.

Has quidem L. Duchesne, Gallicæ in Urbe scholæ nuper socius, ex codice ibi servato describendas, et mihi ejus humanitas non adhuc in lucem emissas præbuit legendas. In una autem et altera earum epistolarum fabula narratur more eorum qui tum comœdiarum scriptores habebantur. Quarum in priore inducit Tortarius duos amicos, Amelium nempe quem « genuit tellus Avernica », et socium

[1] Apud Ed. du Méril, p. 33, not. 2.

Amicum «Blavia quem castrum produxit[1]»; in altera autem Syncopum eunuchum qui præpositus est formosissimæ Floræ custos, non mediocriter in periculo versantis, cum in eam cœcum amorem adolescentes delicati conceperint[2].

[1] Historiam gallus breviter quam replico novit,
Novit in extremo littore saxo situs.
Quæ quoniam metas fidei transcenderit æquas,
Creditur a gravibus fabula ficta viris.
Vera tamen falsis quædam permixta videntur.
Quæ protestantur quanta facessat amor.
Amelium genuit tellus Avernica, clari
Clarus qui montis extitit indigena.
Blavia sed castrum socium produxit Amicum,
Vuasconiæ fertur parte quod esse situm.
Corpore proceri, specieque nitente venusti,
Armis terribiles moribus et placidi:
Lampade pollentes præclaræ nobilitatis
Inque suis primi civibus a proavis... etc.

His quidem brevissimis verbis istam refert historiam L. Duchesne in præfatione Rodulfi Tortarii alteri epistolæ præmissa : « C'est une longue histoire de deux amis nés, l'un à Clermont en Auvergne, l'autre à Blaye. Le premier, qui s'appelle Amelius, est accusé d'avoir outragé Béliardis, fille de la reine Berthe; contraint de subir l'épreuve du duel judiciaire, il a recours à son ami, qui, bien que nouvellement marié, n'hésite pas à profiter de sa ressemblance complète avec Amelius pour se substituer à sa place dans le combat. Après diverses péripéties, la lutte se termine en faveur de l'ami généreux, auquel le roi, trompé comme tout le monde sur son identité, offre sa fille en mariage... A quelque temps de là, celui-ci est atteint de la lèpre; repoussé par sa femme, il vient frapper à la porte d'Amelius qui le reçoit, le soigne et va jusqu'à immoler deux de ses enfants pour sauver la vie de son ami en le baignant dans leur sang. Cet héroïsme dans l'amitié trouve sa récompense, car les enfants sont aussitôt ressuscités. » Præf. ad secundam epistol. A Tortario primum versibus expressa esse videtur fabula Amici et Amelii quæ materiam poetis epicis tam uberem olim præbuit.

[2] Eximia Floræ forma multis describitur versibus, ex quibus sequentia excerpimus :

Felix qui Floræ jugi potiatur amore,
Cujus sic facies nix veluti renitet.
Nec candor tantus perpenditur esse molestus,
Cocci vernantis cum rubor insit ei.
At non parte viget color idem corporis omni.
Gratia nec membris omnibus est eadem.
Congruit ergo suo mire species sua membro
Nil in ea fœdum nil videas mutilum.

Hac vero in fabula ea effinguntur quæ quis ne latinis quidem verbis facile explicet.

Eodem etiam metro elegiaco, sub xii[i] seculi fine, Guilelmus Blesensis Aldæ fabulam [1] conscripsit et Matthæus Vindocinensis Milonem [2], Lidiam [3] atque *Militem gloriosum* quem ad Plauti comici imitationem expressisse forsan existimavit [4]. Iis quoque annumeranda est ea de quo jam supra diximus, *Comœdia Babionis*. Sed hoc opus tum Vitalis clarius illustravit. Qui etsi summam perfectamque illam antiquitatis elegantiam copiamque et affectus, quum dulces illos ac mites, tum festivos atque jucundos non tam in sua potestate habuit, *Amphitryonis* tamen et *Aululariæ* fabulis gratiam quamdam non spernendam contulit.

[1] Alda ad his incipit versibus :

Dum parit Alda perit; Ulfus pro conjuge natam
  Diligit atque vices in patre matris agit.
Ne vir eam ducat aut ipsa virum, pater illam
  Claudit; eam Pirrius nomine captus amat.

(Apud Ed. du Méril, *Orig. lat. du théâtre moderne*, p. 280, in not.)

[2] Hæc sunt prima Milonis carmina :

Hamus amoris edax et rete capacius, orbe
  Omnia cum capiant, insatianter hiant.
Hæc mihi materia est : vigilanter adesto Thalia,
  Tanquam de notis eliciendo nova.
De Milone cano Constantinopolitano,
  Carmine Romano ludicra Græca cano.

[3] Hic est ingressus Lidiæ :

Postquam prima Equitis ludentis, tempora risit,
  Mox acuit mentem musa secunda meam ;
Ut nova Lediades veteres imitata placeret,
  Finxi femineis quoque notanda dolis ;
Cautius ut fugeres docui te quid fera posset ;
  Esse potest una Lidia quoque tibi.

[4] Vide *Militem gloriosum* apud Ed. du Méril, p. 285-297.

CAPUT TERTIUM.

AN AD PLAUTI COMICI IMITATIONEM VITALIS AULULARIA EXPRESSA SIT.

Vitalis quidem Plautum sibi magistrum atque ducem sumere in animo habuit, et ad illius exemplum *Amphitryonem* suum atque *Aulolariam* exprimere. Sed nemini dubium est Plauti comici fabulas incertas et ambiguas semper fuisse [1]. Is enim non solum ætate sua laudem adeptus est popularem, sed etiam ejus fabulæ, regnante Augusto, agebantur multoque magis quam recentiores patribus plebique acceptæ erant. Unde suspicari licet scriptores non paucos ad illarum imitationem quæ maximum obtinuerant favorem, sese compositos esse, eo præsertim tempore, cum, clausis silentibusque theatris, tragici vel comici generis studiosi, ut supra diximus, fabulas scriberent quas convocatis auditoribus, ædibus subselliisque conductis recitarent [2]. Sæpe scripta illa ei adscribebantur, ad cujus exemplum erant confecta, eoque modo crescebat singulis seculis fabularum Plautinarum numerus. Maxima autem earum pars adulterina erat ætate Gellii, ut ipse testatur : « Feruntur, inquit, sub Plauti nomine comœdiæ circiter centum atque triginta. Sed homo eruditissimus L. Œlius quinque et viginti esse

[1] Vide P. Danielis dissertationem *Querolo* Plautino præscriptam in editione ex typographeio H. Commelini, an. 1595.

[2] Vide *Dial. de Orat.*, cap. IX.

ejus solas existimavit[1]. » Quare fieri potuit, ut, cum quis veterem hunc poetam imitari vellet, non ejus vestigiis insisteret, sed vestigiis alicujus auctoris incerti, cujus elaboratum opus Plauto tribueretur.

Vitalis autem hunc in errorem utique incidit. Nam ejus scripta quæ feruntur, cum Plauti comici fabulis quæ eumdem titulum præferunt, nullam aut fere nullam similitudinem et cognationem habent, nec ad illius imitationem expressa videntur. Atque ut ab *Aulularia* incipiam, in confesso est carmen illud non a Plauto sumptum esse, sed a scriptore incerto qui fabulam, cui titulus est *Querolus*, elucubravit. Quo tempore incertum est. « Quod si conjecturis locus est, inquit P. Danielus qui primus hanc fabulam typis mandavit, Theodosii temporibus aut proximis scriptam, duabus de causis arbitror : Primum, quod stylum Theodosiani seculi maxime redolet; deinde, quod ad Rutilium inscripta est, si modo is sit Rutilius, quem seculo Theodosii fuisse constat, et de illo optime conjicere mihi videor[2]. » Rittershusius, in epistola ad Gruterum suum missa, huic sententiæ assentitur[3]. Eam autem hodie impugnant doctissimi antiquitatis investigatores[4]. Sed non nostrum inter hos tantas componere lites.

[1] Aul. Gell., *Noct. Attic.*, III, 3.

[2] Vid. Dissertationem Danielis jam supra laudatam.

[3] « Drama ipsum tibi non commendabo : nec enim opus est... Quanquam illud non existimem dissimulandum, vestigia quidem hic apparere passim imitationis Plautinæ et Terentianæ, aliorumque idoneorum auctorum : sed tamen nonnulla occurrere, quæ seculum illud quo scripta est hæc fabula, Theodosianum scilicet, redoleant : quod jam non leviter a nativa Romanæ linguæ proprietate et facilitate desciverat. » Vid. ed. *Queroli* a Com. prolat.

[4] Edel. du Méril, *Origines latines du théâtre moderne,* p. 16.

Ad illam instituendam quam modo protulimus sententiam, revertamur, atque ut omnis dubitatio tollatur, Vitalis *Aulularia* cum Plauti fabula cui idem est titulus et cum *Querolo* conferamus.

Primas quidem partes apud Plautum agit
Senex avarus vix sibi credens Euclio;

qui

Domi suæ defossam multis cum opibus
Aulam invenit, rursumque penitus conditam
Exsanguis, amens, servat[1].

Is enim querulus atque anxius turpissimaque hac avaritiæ labe vitiatus, omnia despicit atque contemnit præter aurum suum; quod unum intendit, unum in animo habet, et in ea una cogitatione totus versatur. Dolet, timet, gaudet, irascitur, perpetuis agitatur curis, thesaurumque ulla sine intermissione invisit. Quemlibet suspectum tenet, atque omnium insidias et dolos credit in se dirigi. Ancillam qua nunquam scelestior exstitit, increpat, domo expellit eique crucem minatur, quippe quæ cuncta videat et inspiciat, atque profecto quum aliis multis tum Megadoro vicino indicium fecerit de auro. Nam is cum dives sit et « factiosus », ut ait Plautus, Euclionis pauperrimi filiam sibi uxorem poposcit, nec dubitat senex quin ille thesauri possidendi spe allectus sit.

Credo ego illum jam inaudisse mi esse thesaurum domi;
Id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia[2].

Natam tamen despondet dum modo nullam ea secum dotem ferat. At Megadorus socero, ut eum nuptiarum

[1] Plaut., *Aulul.*, argum.
[2] *Aul.*, act. II, scena ii.

impendiis levaret, coquos, tibicinam obsoniumque misit. Is autem cum omnem hanc turbam videt, timens ne illa domum invadat, ollam opulentam surripiendi causa, coquos aliosque omnes fustibus atque flagellis onustos ex ædibus expellit.

Thesaurum in Fidei fanum transfert ibique abstrudit, ac ne sic quidem securus, eumdem in lucum silvanum extra muros jacentem « *vacuum multoque salicto oppletum* » intulit. At lascivior servulus qui dum ollam senex defodiebat in arbore latebat, eam subducit. Quare Euclio sui impotens, vehementius desperatione perturbatus, vitam videtur amisisse, gemitusque ac ejulatus profert donec restituatur thesaurus. Tunc puella non cum Megadoro, nimis ætate provecto, sed cum Liconide, adolescente, qui eam vitiaverat, omnibus approbantibus, connubio conjungitur.

Ea fere est Plauti *Aulularia,* omni lepore, urbanitate atque salibus condita et ornata. Cujus per vestigia auctor *Queroli* fabulam suam « investigatam esse » profitetur : atque ut ei « aliquid adderetur gratiæ » ex illo Rutilii ad quem opus misit, « sermone philosophico » nonnihil sumpsit. Idem docet Rutilium hunc eos qui miseros se esse deplorarent, irridere atque insequi solitum[1]. Diligenter autem intuenti nihil fere præter prima operis lineamenta, in *Querolo* cum Plautina *Aulularia* commune est, auctoremque eam fabulam magis produxisse et persecutum quam imitatum videtur, ut ex ipso argumento perspici potest, quod ipse his brevioribus verbis describit atque definit.

[1] Vide *Querol.* edit. a Com., præfat. ad Rutilium.

« Materia hæc est : Pater Queroli nostri fuit avarus Euclio : hic Euclio aurum in ornam (sic) congessit olim, quasi busta patris, odoribus insuper infusis tituloque extra addito. Navem ascendens ornam domi fodit : rem nulli aperit. Hic peregre moriens, parasitum ibidem cognitum filio coheredem instituit tacita scripturæ fide, si eidem thesaurum occultum sine fraude ostenderet ; locum tantummodo thesauri ostendit. Oblitus doli parasitus navem ascendit, ad Querolum venit, et rupit fidem, magum mathematicumque sese fingens, et quidquid mentiri fur potest. Ea quæ a patrono didicerat Queroli secreta et familiaria quasi divinus loquitur. Querolus fidem accommodat auxiliumque poscit. Parasitus magus domum purificat et puram facit. Sed ubi primum libere ornam inspexit, vetere dolo decipitur. Bustum quod simulabatur credidit, atque irrisum se putat. Inde ut aliquatenus se ulcisceretur, ornam Queroli in domum callide et occulte obrepens per fenestram protulit ; qua explosa et comminuta, bustum in pretium vertitur. Itaque thesaurum contra rationem et fidem cum lateret, perdidit ; cum perisset, reddidit. Postea re comperta parasitus revolat, et partem petit. Sed quia quidquid abstulerit confitetur, quidquid retulerit, non docet ; primum furti, post etiam sepulchri violati est reus. Exitus hic est : ille dominus, ille parasitus, denuo fato atque merito convolantur sic ambo ad sua [1]. »

Ex hoc Querolo utique nata est, ut Commelini fert opinio [2] et res ex se ipsa apparet, Vitalis *Aulularia*.

Qui fabulam illam profecto in manibus habuit et in exemplum intuitus est. Ex eadem quædam omissa atque

[1] Vide *Querol.*, ed. a Com., præfat. ad Rutilium.
[2] *Ibid.*, p. 54.

prætermissa ; alia contracta atque coarctata ut minus essent languida, pleraque autem pene ad verbum versibus elegiacis expressa. Ut in *Querolo,* sic in Vitalis Aulularia primæ partes ipsi Querulo Euclionis filio assignatæ, qui sortem acerbam atque rem augustam luget ea mala e nomine suo orta esse existimans, atque in Deos vehementius invehitur :

... Sed cur
Juravere omnes in mea fata Dei ?
Natus ego ut quererer, semper Querulusque vocatus,
Ut vivam querulus et mea fata querar ?
Mira mei video præsagia nominis; audis
Nomen : quæ mea sint fata notabis eo.
Sum miser atque meo mea nomine nomino fata,
Asperitasque novi nominis omen habet.
Res sequitur nomen. An nomen ab omine duxi ?
An causam nomen ominis esse rear?...
Hoc quoque miror ego quod, cum caput exero textis,
Ecce meum quovis nomen in ore sonat.
Sibilat in Querulum plebecula meque sequuntur:
Sustineo invidiam nominis esse mei [1].

Ejus quidem pater Euclio cum multum jam tempus abesset et *longo orbe viarum* atque senecta confectus, procul a patria, hospitibus in oris, mortem proximam esse sensit, atque servulo Sardanæ quem secum abduxerat, intimos sensus secretaque mentis aperuit :

Mi Sardana, dixit...
Æde mea qua parte Laris premit angulus aram
Olla fidelis habet mille talenta mihi.
Damnavit misero me sors herede parentem ;
Nec quisquam pejor filius esse potest...
Forsitan ut saperet, et doctor et usus et ætas

[1] Vid. VITALIS *Aulul.,* v. 43-57.

Impulit, et super hæc ingeniosa fames.
Si neque sic sapiat, melius perdetur in illo
Res mea quam lateat divite semper humo.
Res eget indicio teque indice filius heres
Mille talenta feret; tu tibi sume decem
Servitiique jugo te libero; liber abibis.
Sardana qui fueras a modo Paulus eris[1].

Ubi extremum Euclio reddidit spiritum, beneficii ab eo accepti immemor Sardana, omissis funeribus ad Querulum proficiscitur, in animo habens ollam auferre nummorumque potiri. Cum autem hunc hebetem atque credulum novisset eique consilium unum menti esse infixum, fortunam nempe aucupari, fingit se magum atque mathematicum, malaque fortuna et ipso Jove potentiorem esse. Talem hunc virum cum Querulus advenisse audiisset vehementius optavit, ut domum ille puram faceret malamque sortem expelleret. Is igitur ædes Queruli ingressus inaudita mortalibus verba profatur, locumque in quo ex Euclionis indicio olla latebat, fodit, et eam postquam invenit, secum effert. Ut autem e conspectu recessit ollamque aperire voluit, hunc ei titulum mirans inscriptum vidit :

Ossa Tripericii Triperi patris hæc tenet olla
Condita cum nituit Cæsare Roma suo[2].

Tum indulgere planctui et ejulatibus incipit, ac muliebrem in modum omnes doloris habenas immittere. Incurrit tamen in mentem ultionem quamdam a Querulo petere, ollamque per fenestram injici jubet : quæ confracta atque comminuta thesaurum effundit atque inexspectato Querulus gaudio perfunditur.

1 Vital. *Aulul.*, v. 199-240.
2 *Ibid.*, v. 691-692.

Deceptus autem propria fraude Sardana magi personam exuit, Euclionisque filium adit dicens se servulum esse illum qui dudum patris

Et comes et servus auxiliumque viæ[1]

profectus sit. Narrat etiam extremum ejus ore spiritum excepisse et decem talentis heredem esse institutum. Querulus de suprema parentis voluntate certior factus, partem hereditatis promissam Sardanæ tradit, et tum, ut ait Vitalis : « lis cadit, acta placent[2] ». Ea est fabulæ peractio et nuda operis expositio ex qua in promptu est Vitalis *Aulul ariam* a *Querolo* sumptam esse et ad illius imitationem expressam.

Quod si hujus cognationis atque affinitatis alia quærenda indicia, meminerimus Vitalem in prologo sibi veniam poscere quod comœdia fatum

Nominet et stellas et canat alta nimis[3],

additque Plautum unum illius criminis esse accusandum.

At in hujus *Aulularia* nullus est locus neque stellis neque fato aut magorum cantionibus. Quæ inanes atque irridendæ nugæ prolixiori sermone in *Querolo* explicantur adeo ut Gruterus ipse, qui fabulam hanc valde

[1] VITALIS *Aulul.*, v. 766.
[2] *Ibid.*, v. 790.
[3] *Ibid.*

Arguet hoc aliquis, mea si comœdia fatum
Nominet et stella et canat alta nimis.
Descivisse ferent, humilemque ad grandia stulte
Evasisse stylum, crimina Plautus habet.
Absolvar culpa, Plautum sequor : et tamen ipsa
Materiæ series exigit alta sibi.
Aulul., Prol., v. 17-22.

probat atque commendat, profiteatur multa proferri insulsissima et vix ad rem spectantia, atque nusquam magis quam hic locum habere Horatianum illud « humano capiti[1] ».

[1] Vid. *Quer.* a Commel. ed., p. 109.

CAPUT QUARTUM.

A QUO AMPHITRYONEM SUUM VITALIS SUMPSERIT.

Perspicuum est et ab omnibus concessum Vitalis *Aulülariam* ad *Queroli* exemplum expressam esse; sed non ita facile dixerim a quo idem *Amphitryonem* suum mutuatus sit. Ipse quidem hanc fabulam ait « per Plauti vestigia investigatam », non autem eam magis quam *Aululariam* ex illo veteri poeta duxisse videtur, ac veri similius est aliquod opus hodie vetustate sublatum intra manus fuisse, ad cujus imitationem sese accinxerit. Hanc quidem sententiam verecunde ac dubitanter Osannus profert[1], ad quam libentius ego accesserim.

Ex *Aulularia* probe notum est qualem scribendi rationem atque artem Vitalis adhibeat. Non vias indagat novas, tritas potius sequitur et singulare quoddam imitationis genus sibi accommodatum, nec valde probandum.

Qui aliena vestigia sequitur et operam dat imitationi, non debet iis esse contentus, quæ sunt ab aliis inventa, sed istorum exemplo excitari ut ipse nova quærat et eruat, nam certe scit invenisse eos qui quæsierunt. Si autem contentus est consequi, quod imitatur, illi profecto locus erit in eorum numero quos Flaccus servum pecus appellat, et *circa vilem patulumque morabitur orbem*[2].

[1] Vital. Blesens. *Amph.* et *Aul.*, p. 17.
[2] Horat. *Ars poet.*, p. 132.

Atque etiam, inquit hac de re Fabius « qui summa non appetent contendere potius quam sequi debent. Nam qui agit ut prior sit, forsitan etiamsi non transierit, æquabit. Eum vero nemo potest æquare, cujus vestigiis sibi utique insistendum putat. Necesse est enim semper sit posterior, qui sequitur[1]. » Vitalis autem non tam ardua aggreditur nec affectare videtur ut eum superet atque vincat, quem in exemplum intuetur. Quædam ex hujus fabula præcidit, alia contrahit et quæ probat, tanquam fidelis interpres, exprimit. De iis quæ mutat atque novat præmonet, ut in *Aululariæ* prologo videmus :

Qui releget Plautum, mirabitur altera forsan
Nomina personis quam mea scripta notent[2].

« Plauti autem Amphitryonem, inquit Ozannus, cum cognomine Vitalis carmine contendenti facile apparebit, hoc cum illa comœdia nullam aliam habere communionem quam quæ in usu ejusdem fabulæ de Jovis et Alcmenæ amoribus consistat[3]. » Ex quibus is tantum sumpsit quantum necesse erat ut fabula intelligeretur. Reliquæ vero partes utriusque operis prorsus inter se dissimiles.

Amphitryoni enim præclaro imperatori qui insignem retulit victoriam, et

Qui multa Thebano populo acerba objecit funera[4],

primas Plautus tribuit et a Sosia incipit qui missus est Alcmenæ, nuntiaturus hostes ab Amphitryone superatos

[1] Vid. Quint., lib. I, cap. ii.
[2] Vid. Vital. *Aulul.*, v. 11-12.
[3] Vital. ab Os. ed., p. 17.
[4] Vid. Plaut. *Amph.*, act. I, sc. i.

esse ac debellatos *regnumque regi Thebano Creonti stabilitum*[1].

Ille autem nec fortis nec strenuus, sponte qui sit, aperit dicens :

Nam cum pugnabant maxime, ego fugiebam maxime[2],

meditaturque secum quo modo pugnam cui non interfuerit, describat, et solus ornata atque sonantia verba volvit[3]. Huic autem Alcmenæ ædibus appropinquanti obviam fit Mercurius qui ejus « formam cepit in se et statum », eumque crebris pugnorum ictibus cædit et tandem, quis sit, interrogat :

Sosiam vocant Thebani, Davo prognatum patre,

respondet ille. Quem Mercurius iterum verberibus percutit ac sese Amphitryonis Sosiam et navem qua uterque evectus sit, nocte hac, victis hostibus, e portu Persico solutam esse contendit.

Tum Sosia mirans ab eo petit quid ageret cum legiones manus sererent. Cui subjicit Mercurius, sese in tabernaculum contulisse ibique « e cado vini meri hirneam » hausisse atque ebibisse. Ille magis atque magis anceps et anxius se argumentis victum fatetur, nec jam sibi credit, cum hunc qui se Sosiam esse dicit aspiciens, formam suam habitumque omnem agnoscit, taliaque desperatione fractus profert :

Quemadmodum ego sum (sæpe in speculum inspexi)
[nimis simili'st mei.
Itidem habet petasum, ac vestitum : tam consimili'st
[atque ego.

[1] Vid. PLAUT., *Amph.*, actus I, scena I.
[2] *Ib.*, scena II.
[3] *Ibid.*

Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum, vel labra,
Malæ, mentum, barba, collum : totus ! quid verbis opu'st?
Si tergum cicatricosum, nihil hoc simili'st similius.
Sed quum cogito, equidem certo idem sum qui semper
[fui.
Novi herum, novi ædes nostras : sane sapio et sentio[1].

Sæpius quidem Amphitryonis domum ingredi tentat et incredibilis illius portenti nodum solvere. Sed in his frustra laborat, et tandem ad Amphitryonem revertitur.

Quem Sosiam Plautus vocat, huic Getæ nomen Vitalis contulit atque idem primas partes agit. Non e castris redit, sed ex Athenarum umbraculis, ibique multa mala atque ingrata pertulit, ut ipse testatur :

Me frigus, me longa fames, sitis aspera, somni
Nocte breves, miseri perdomuere cibi.
Non primo vivebat herus, sed pane secundo.
Qui me pascebat, vix quoque quartus erat[2].

Eum tamen nullo modo pœnitet tot labores ac mala pertulisse ; nam doctissimis summorum philosophorum præceptis institutus, tanquam in procinctu paratam quidem ad omnes controversias habet dialecticam, omnique doctrinarum supellectile instructam. Nulla jam rerum miracula exsuperant intellectum. Causas enim introspexit omnes penitusque novit. Imo in formam ac speciem novam quæcumque mutare valet[3], auguraturque se mox magistrum appellatum iri, atque insigni cum laude in medium opes ac divitias prolaturum esse, quas « ex urbe

[1] Vid. PLAUT. *Amph.*, actus I, scena II.
[2] Vid. VITAL. *Amph.*, 159-162.
[3] *Ibid*, v. 163-166.

... Pretium pœnæ miranda sophismata porto
Jam probare scio, quod sit asellus humo...
Sum logicus, faciam quævis animalia cunctos.

ea quæ domus est semper habita doctrinæ[1] » arcessiverit.

Assurgent Getæ redienti (sic) Santia, Sango
Davus, et applaudet cætera turba mihi,
Accrescet nomen mihi, dicar Geta magister;
Terrebit cunctos nominis umbra mei.
Magnus et in tota venerabilis ipse popina,
Jam liber servos magna docebo meos[2].

Hæc et alia hujusmodi secum cogitanti sese opponit Mercurius, seu Arcas[3], qui ejus formam, lineamenta habitumque omnem simulavit, eumque illudit.

Tum ille dialecticam e scholis recentem, exercitatamque disputandi rationem arrogantibus verbis adhibet; sed, quid sibi velit portentum illud nescit, argumentorumque varietate atque insidiis comprehendere ac circumscribere conatur.

Qui loquitur mecum? voce est et corpore Geta...
Hunc verum Getam factaque voxque probant.
Est ego qui mecum loquitur; sed nescio fiat
Qua ratione duo, qui prius unus erat.
Omne quod est, unum est; sed non sum qui loquor unus.
Ergo nihil Geta est, nec nihil esse potest[4].

Eo vero rogante, Arcas seipsum describit atque veram sui imaginem exhibet, nec eam formosam:

Totus inaudita fœdaque nigredine damnor,
Atque color membris omnibus unus inest.
Sum velut Æthiopes, aut quales India mittit,
Æterna scabie scinditur atra cutis.
Hirsutum caput est et cinctum crine caprino,
Frons brevis et naris longa, rubent oculi...

[1] *Brutus*, cap. XCVII.
[2] Vid. VIT. *Amph.*, v. 233-238.
[3] Mercurius apud Vitalem Arcadis nomen usurpat.
[4] Vid. VIT. *Amph.*, v. 267-280.

Sic tumeo ventre, quod dicor hydropicus esse,
Et stomachus parvum nescit habere modum,
Zonaque nulla potest hunc castigare tumorem,
Cum pane absortis dum tumet alvus aquis[1]...

Profert etiam idem Arcas furta, dolos, mores vitamque omnem, sed parum verecundis utitur verbis adeo ut ea referre pudeat. Quæ tamen omnia sibi apta atque accommodata, eamque vitam esse suam agnoscit; Geta incertus hæret, divina quasi potentia premitur, et in dialecticorum meatibus evanescens jam nescit utrum adhuc sit necne, confiteturque se, cum logicam didicerit tum esse desiisse, et quæcumque mutare voluerit, in seipsum alios esse mutatos, seque sibimetipsi ablatum[2].

Væ logicis, si sic est omnibus.....
Hercule cuncta suas deseruere vias[3].

Nemini quidem dubium est quantum Geta artis dialecticæ eruditissimus, a Sosia servulo differat, et cum Vitalis tantum ad aliena vestigia sequenda sese accinxerit, si Plauti Amphitryonem in exemplum intuitus esset, et comœdiam a parente tam diversam expressisset, profecto lectorem hac de re admonitum voluisset. Non autem ambigitur quin olim quum alias Plauti fabulas, tum Amphitryonem hunc qui tantum Quirites delectaverat, pluries tractaverint. Documento est vas quoddam antiquum in quo describitur Jupiter comœdorum vestitu indutus, scalisque suppositus quas ad murum erigere conatur, ut ad Alcmenam e fenestra prospicientem sese conferat. Hunc comitatur Mercurius habitu servili compositus,

[1] Vid. Vit. *Amph*,. v. 333-344.
[2] *Ib.*, v. 413-416.
[3] *Ibid.*, v. 417-420.

utero tumens zonaque rubenti præcinctus. Quod simulacrum expressum dicas Plautinæ fabulæ irridendæ causa, et idem forsan ex aliqua comœdia ductum est quæ nunc desideratur et cujus auctor et veterem illum comicum et Jovis ac Alcmenæ amores in ludibria vertere sibi proposuit[1].

Utcumque ea se conjectura habet, Sedulius testatur v° seculo hujusmodi fabulam exstitisse, cui Getæ titulus erat quæque insignem obtinebat favorem, ut ex his carminibus perspici potest :

Cum sua gentiles studeant figmenta poetæ
Grandisonis pompare modis, tragicoque boatu,

[1] Vas illud a Winckelmann his verbis describitur : « C'est une parodie des amours de Jupiter et d'Alcmène dans laquelle ce sujet est traité de la manière la plus comique. A voir cette composition, il semblerait que l'artiste ait voulu peindre la principale scène d'une comédie telle que celle de l'*Amphitryon* de Plaute. Alcmène regarde par la fenêtre, comme faisaient ces femmes qui mettaient leurs faveurs à l'enchère, ou qui voulaient faire les prudes ou les précieuses. La fenêtre est élevée à la manière des anciens. Jupiter, qui est travesti, porte un masque blanc auquel pend une longue barbe. Il est coiffé, comme Sérapis, d'un boisseau ou *modius* qui ne fait qu'une seule pièce avec le masque. Il porte une échelle, la tête passée entre les échelons, et paraît être sur le point de s'en servir pour monter dans la chambre de sa maîtresse. De l'autre côté on voit Mercure avec un gros ventre, travesti en valet, et assez ressemblant au Sosie de Plaute. Il tient de la main gauche son caducée qu'il baisse, comme pour le cacher, afin de n'être pas reconnu. De la main droite, il porte une lampe qu'il lève vers la fenêtre, soit pour mieux éclairer Jupiter, soit pour intimider Alcmène... Il porte à sa ceinture un long priape qui a aussi sa signification. Dans la comédie des anciens, les acteurs s'attachaient ainsi un grand phallus de cuivre rouge. (Ἰθύφαλλοι. Suidas, v.) Les deux figures ont des chausses et des bas blanchâtres faits d'une seule pièce, en forme de pantalons, qui descendent jusqu'aux chevilles, comme on en voit aux comiques assis et masqués qui sont dans les villas Mattei et Alboni ; car chez les anciens les personnages comiques n'osaient paraître sans chausses sur le théâtre. » (***Histoire de l'art chez les anciens***, t. I, p. 302).

Ridiculove Geta, seu qualibet arte canendi,
Sæva nefandarum renovent contagia rerum, etc[1].

Eadem forsan adhuc XII° seculo vigebat multumque laudis assequebatur, cum scriptor nomine Gerhoh, qui tum fuit, de ministro quodam loquens diceret eum ingredi solitum « onustum copiis nummorum, ut alterum Getam putares[2] ».

Hunc autem libris onustum, ut decet philosophorum discipulum, ex Athenarum ludis redeuntem, Vitalis effinxit[3]; unde libentius existimaverim illius Amphitryonem e *Geta* expressum esse, sicut *Aulidariam* e *Querolo* scimus, nec minorem illis temporibus illi *Getæ* fuisse laudem quam *Querolo* de quo ait J. Saresberiensis:

Plautinum Querolum miraris ubique videri,
Mancipio tali non caret ulla domus[4].

[1] Vid. VITAL BLESENS. *Amphit.* et *Aulul.*, p. XII.

[2] Vid. *Origines latines des théâtres modernes*, par ED. DU MÉRIL. Referuntur hæc verba in illius operis notula, p. 15: « Il y eut sans doute plusieurs élaborations du *Geta* : M. Maï en a publié une du douzième siècle, sous ce titre : *De Amphitryone et Alcmena poema*, apud classicorum auctorem fragmenta, t. V, p. 463... et, vers le milieu du cinquième siècle, Sedulius disait au commencement de son *Carmen paschale* : Cum sua gentiles, etc. »

Gerhoh. qui mourut en 1169, faisait également allusion au *Geta* dans le *Vitæ beatorum abbatum Formbacensium Berengeri et Wirntonis* : procedebat autem ipse, sicut crebro solebat ; minister ejus, onustus copiis nummorum, ut alterum Getam putares, anhelus sequitur ; ap. Pezius, *Thesaurus anecdotorum*, t. I, p. II, p. 402.

[3] Vid. VIT. *Amph.*, v. 134 et seq.

[4] Vid. *Origines latines*, etc., p. 15, notul. 1.

CAPUT QUINTUM.

QUÆ LAUDANDA IN VITALIS SCRIPTIS.

Vitalis non indicta « ore alio[1] » ex se ipso extulit feracis ingenii beatissima ubertate; operis alieni tantum interpres fuit. Insignem tamen hac via, ut jam dictum est, famam sibi comparavit, Plautoque comico e cujus fabulis suarum similitudinem ducere existimavit, quasi novam gratiam ac laudem conciliavit. Non huic nec cuiquam optimo poetæ par fuit; ne novisse quidem videtur qualis esset optimi atque absoluti perfectio. Sed quum in cæteris rebus, tum in carminibus, semper, quo nihil est melius, id laudari, qualecumque est, solet. Præterea non eum tamen omnis genuina virtus destituit, et quædam sunt in ejus scriptis notatione atque commemoratione digna.

Quem cum legimus, animus sese ad illa vetustiora tempora refert. Scholas ingredimur a multitudine discipulorum frequentatas, inter audientes assidemus et controversiis quibus maxime incendebantur, interesse videmur. Constat enim, ut jam diximus, optima tum ingenia rebus philosophicis impensam operam dedisse, et quum hujus scientiæ reliquas partes, tum disserendi rationem atque artem vehementius excultas esse. Nihil præstantius erat, nihil laude dignius, nihil quod magis cujuslibet no-

[1] Dicam insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio.
(HORAT. *Od.*, liv. XIX, v. 7-8.)

men commendaret quam de omnibus rebus, seu ut aiebant, de *omni re scibili* in utramque partem scienter atque perite disputare posse; et ea laus plerumque non intra ludorum parietes septa tenebatur, sed late per provincias attentis faventibusque animis excipiebatur.

Scimus quidem eos qui, illis temporibus, philosophicæ disciplinæ principes haberentur, in disputando peritissimos fuisse, atque varias in familias divisos inter se dissentientes; quique *Nominales* dicebantur, iis popularis quædam fama accesserat. Multi enim hujus sententiæ erant, et ii quidem studiosi atque ad intricatam verborum sententiarumque subtilitatem exercitati vel maxime. Profitebantur tantum res singulas esse, easque per sensus menti atque intelligentiæ innotescere; universalia autem mera esse vocalia atque voces quibus eadem universalia exprimerentur, ad nullas species seu ἰδέας referri posse. Huic autem sententiæ sese opponebat eorum familia qui non solum Nominalium, instituta refellebant, verum etiam singulis universalibus singulas cogitatas species seu ἰδέας respondere aiebant. Iidem docebant has rerum formas neque oculis, neque auribus neque ullo sensu percipi posse, sed cogitatione tantum atque ratione contineri, neque gigni sed semper esse, et quasi ex ipsa Dei intelligentia hauriri. Quibus adjungenda duabus tertia familia quæ medium quoddam iter ab utraque diversum secuta est. Ei vel maxime princeps fuit Abailardus qui, quum infortuniis et procellis in ipsum conversis, tum doctrina et institutis præclarus fuit. Singulis autem his disciplinis sui amatores erant, et traditum est eos magistrorum a quibus sese esse dicerent, institutionibus atque præceptis ita inter se divisos, ut per scholarum compita sererent certa-

mina et sibi mutuo gravia inferrent vulnera. Omnem autem in illam turbam canoras nugas docentium, Vitalis invehitur atque in *Aulularia* præstantissimos etiam antiquitatis magistros irridet et insequitur, perinde ac si philosophia omnibus malis ortum dedisset. Pauca ex iis eligenda sunt atque referenda ut quale sit Vitalis judicium suspicari liceat.

Quam varios hominis mens conscia quærere verum
  Edidit errores. Vera latere volunt.
Jupiter his hominum suspendit pectora curis,
  Ne foret ex aliqua parte beatus homo.
Ausus in arcana naturæ erumpere Plato,
  Unum deprendit, et docet esse deos,
Et fatum fato sic explicat, ut licet insit
  Ordo necessarius, omnia casus agat.
Atque iterum fato fatum sic explicat, ut sors
  Ipsa necessaria lege coartet (*sic*) iter.
Ergo necessario Querulus miser et nequit esse
  Non miser, huic sectæ si sit habenda fides.
Somnia Platonis innexa ambagibus odi,
  Dum studuit canere non capienda mihi.
Hoc unum placuit : turbam negat esse deorum;
  Utile quod docuit sit licet, error erit[1].

Ista quidem et alia multa hujusmodi tristiora sunt, nec ullam gratiam vivacem aut festivitatem præ se ferunt. Sed feliciori quadam arte in *Amphitryone* philosophorum arrogantia deluditur, qui sub Getæ persona, jucunda ac scenica prope venustate inducuntur. Is enim cum omnia philosophiæ arcana penitus novisset, dialecticamque uberrimis studiis atque exercitationibus acuisset, nihil humanum divinumve supra intellectum fore existimavit, ut ipsius verba testantur.

[1] Vit. *Aul.*, v. 65-82.

. . . . Miranda sophismata porto,
Jamque probare scio, quod sit asellus homo.
Dum mihi me reddant patinæ, focus, uncta popina,
Hos asinos, illos esse probabo boves.
Sum logicus, faciam quævis animalia cunctos.
. . . .
Hoc etiam didici, quod res nequit ulla perire :
Quod semel est aliquid, non nihil esse potest.
Cui semel esse datur, nunquam non esse licebit;
Sed faciem mutat, et novat esse suum.
Sic nequeo non esse[1].

Præclaram Geta sibi gloriam fingit et seipsum multis laudibus extollit his verbis quas jam supra retulimus :

Assurgent Getæ redienti.....
Accrescet nomen mihi; dicar Geta magister[2];

Ei autem ad domum Alcmenæ accedenti cum obstat Arcas qui ejus vocem et corpus simulat, atque respondet :

Jam thalamum tenet Amphitryon, tenet ostia Geta,
Quisquis es, inquit, abi[3],

Geta stupet « simulata probatione vocis » perturbatus, et sibi mœstus ait[4].

Qui loquitur mecum? voce est et corpore Geta;
Voce loqui Getæ, quis nisi Geta potest?...
Est ego qui mecum loquitur; sed nescio fiat
Qua ratione duo, qui prius unus erat.
Omne quod est, unum est; sed non sum qui loquor unus.
Ergo nihil Geta, nec nihil esse potest.
Unus eram, clausa quum primum ad limina voce
Intonui, sed me reddidit iste nihil.

[1] Vit. *Amph.*, v. 163-177.
[2] *Ibid.*, v. 233-238.
[3] *Ibid.*, v. 253-54.
[4] *Ibid.*, p. 256. Terruerat Getam simulata probatio vocis.

Respondine mihi? Vocemne per eccho relatam
  Ut solet in silvis reddidit ipsa domus?
Janua me dudum reserato cardine cepit?
  Quid loquor? ut subeam proferor intus ego[1].

Nequidquam cum Arcade Geta disputare conatur dialecticæ artibus mentem suam exturbatam esse et in insaniam se incidisse intelligit.

. . . . Væ væ mihi, dixit,
  Væ mihi qui fueram, qui modo fio nihil!
Geta quid esse potes? Es homo non hercule; namque
  Si quis homo Geta es, quis nisi Geta foret?
Sum Plato? me forsan artes fecere Platonem.
  Geta quidem non sum, Getaque dicor ego,
Si non sum Geta, non debeo Geta vocari.
  Geta vocabar ego : quod mihi nomen erit?
  Nomen erit nullum, quia sum nihil. Heu mihi nil sum?
  Jam loquor et videor, tangor et ipse manu,
  Quodque valet tangi, non erit hercle nihil.
Est aliquid quodcumque fuit, nec desinit esse;
  Est etiam semper, cui semel esse datur.
Sic sum sic non sum; pereat dialectia per quam
  Sic perii penitus, nunc scio scire nocet;
Cum didicit Geta logicam, tum desiit esse :
  Quæque boves alios me fecit esse nihil.
Sic in me gravius experta sophismata mutant
  Tantum alios : mihimet astulit esse meum.
Væ logicis, si sic est omnibus!.....
  Hercule cuncta suas deseruere vias
Reddidit insanum de me dialectica stulto[2].

Nonne misera sors Getæ qui dialecticæ nimis crediderat et suo nomine exuitur similitudinem quamdam et quasi cognationem cum illis doctoribus habet qui propriis insi-

[1] Vid. *Amph.*, v. 258-286.
[2] *Ibid.*, v. 397-423.

diis atque laqueis decepti omnia, ut jam diximus, humana divinaque superare posse existimabant, et cum abscondita abstrusaque sacræ religionis mysteria explicare conarentur, sanctæ ecclesiæ auctoritate quasi fulmine percellebantur. At quid tum jucundius erat, quid facetius quam eos irridere et carpere, ut Vitalis ille noster tentavit. Nec adeo fuit infelix operis, nec eum lepos et urbanitas omnino destituit; nam Amphitryonem perlegens, incurro in Horatii memoriam eos insequentis qui ejus ætate in varias scissi sectas, sese philosophos esse profitebantur. Alii a stoicis se esse dicentes hujus sententiæ præcepta in ore semper habebant, paria nempe esse peccata, sapientem gratia nunquam moveri, nunquam cujusquam delicto ignoscere; neminem misericordem esse, nisi stultum et levem; viri esse, neque exorari neque placari; solos sapientes esse, si distortissimi sint formosos; si mendicissimi, divites; si servitutem serviant, reges[1], eosque sapientes habendos, *sibi qui imperiosi, quos neque pauperies, neque mors neque vincula terreant... in quos manca ruit semper fortuna*[2]. Alii vero Epicuri sententiæ addicti voluptatemque sequentes cœnarum artem saporumque varietatem atque rationem penitus sibi cognitas

[1] Cic. pro Murena. His verbis stoicos irridet Tullius quem sæpius Flaccus imitatur, ut in istis versibus :

Ad summam sapiens, uno minor est Jove, dives.
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

[2] Horat. *Satyr.*, lib. II, vii, v. 57-62 :

. . . . Sapiens sibi qui imperiosus;
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis; et in se ipso totus, teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per læve morari;
In quem manca ruit semper fortuna.

atque perspectas profitebantur[1]. Quis non animo repetit sinceram illam Catii imaginem cui

. . . . Non est tempus, aventi
Ponere signa novis præceptis, qualia vincant
Pythagoram Anytique reum doctumque Platona[2],

cum omnem coquorum scientiam a doctissimo didicerit magistro, aut Damasippi qui *postquam omnis res Janum*

Ad medium fracta est, aliena negotia *curat*
Excussus propriis[3],

aliorumque multorum. Qui non virtute ac studiis ut haberentur philosophi, laborabant; sed vultum, et dissentientem a cæteris habitum pessimis moribus prætendebant[4], et cum per vicos et compita deambularent, eos pueri clamoribus ac contumeliis, ut refert Flaccus, prosequebantur:

. . . . Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri; quos tu nisi fuste coerces,
Urgeris turba circum te stante, miserque
Rumperis et latras, magnorum maxime regum[5].

Non autem cum Horatio cujus carmina omni lepore, omni gratia ac venustate condita sunt, Vitalem admodum rudem et impolitum poetam conferre ausim. Tantum mentem atque animum quibusdam adhibitis ex Flacci satiris salibus atque lepide dictis, relaxare volui.

[1] Vid. HORAT. *Satyr.*, lib. I, IV, v. 34-36.
[2] *Ibid.* 1-3.
[3] *Ibid.*, lib. II, III, v. 1-9.
[4] QUINT. Procœmium, cap. II.
[5] HOR. *Satyr.*, lib. I, III, v. 133-136.

CAPUT SEXTUM.

QUOS ANTIQUITATIS AUCTORES IMITATUS SIT VITALIS. — QUÆ IN EJUS CARMINIBUS REPREHENDENDA.

Paucis nunc expediam verbis, quibus eloquendi vitiis Vitalis laboret aut quæ virtutes in ejus carminibus eniteant. Sunt qui in eis laudabilem elocutionis versuumque nitorem inesse dicant[1]. Non ille quidem omnino impolitus fuit, nec incultus nec antiquitatis ineruditus. Præstantissimos poetas delibaverat, saltem latinos; quin etiam Theocritum qui bucolici generis sine controversia princeps exstitit, alicujus forsan interpretis auxilio, legisse videtur.

Hunc enim querentem nullam laudem nullaque præmia carminibus esse proposita, in *Amphitryonis* prologo Vitalis imitatus est, ut ex ipsis versibus suspicari licet[2].

Carmina composuit, voluitque placere poeta;
  Fallitur hoc studio; carmina nulla placent.
Fabula nulla placet, quæruntur seria cunctis;
  Quemlibet immodicus alligat æris amor.
Si quem scripta juvant, istis tamen invidet ille,

[1] VITAL. *Amph.* et *Aul.* ab Osan. edit., p. 1.

[2] V. SAINT-MARC GIRARDIN, *Cours de littérature dramatique,* t. III, p. 171-172 : « Les hommes de notre temps, dit Théocrite dans sa seizième idylle, ne se soucient guère de la louange que les poëtes savent donner aux belles actions; ils ne songent qu'à gagner de l'argent. Chacun, la main serrée sous le manteau, ne cherche qu'à augmenter sa fortune. A quoi bon de nouveaux poëtes? N'avons-nous pas Homère qui suffit pour tous? Le meilleur poëte pour moi est celui auquel je n'ai rien à donner. »

Et laudans veteres nescit amare novos.
Utilius tacuisse foret quam scribere versus;
Scriptor enim pretio, scriptaque laude carent.
Quem juvat iste labor, soli sibi scriptitet ille;
Et sibi pulcer (*sic*) erit, et sua solus amet[1].

Sed in primis assiduam operam poetis latinis Vitalis contulit, atque ex eis styli colorem duxit. Perlustrarat enim præcipua Ovidii carmina qui metrum quo usus est Vitalis, maxime adhibuit et quasi suum fecit. Ex eo sæpius ille verba verborumque comprehensiones adscivit. Hæc enim sequentia « refugis fluctibus[2], furca subeunte bicorni[3],

. . . . Athenis
Dicere longa mora est, quæ mala quotve tuli[4],

ex variis Ovidii poematibus expressa sunt. Bortius harum rerum diligens investigator cum iis verbis : « Crescit edendo fames[5] », confert etiam illud Ovidii :

... Semperque locus fit inanis edendo.

Multa quoque a Virgilio sumpta sunt, nec omnia quæ Vitalis imitatus est, in animo est referre. Quis vero legens non agnoscit ista *Amphitryonis* verba :

Assurgent Getæ redienti (*sic*)[6].
Accrescet nomen mihi[7]...

[1] VITAL. *Amph.* ab Osan. edit., p. 2.

[2] OVID. *Metamorph.*, X, v. 37 :

. . . . Nec Tantalus undam
Captavit refugam.

[3] OVID. *Phil. et Baucis*, v. 36. Furca levat ille bicorni.

[4] . . . . . Quorum mihi cuncta referre
Nomina longa mora est.
(V. OVID., *Ex Ponto*, IV, 16, 37.)

[5] V. VIT. *Amph.* apud Osannum, p. 38, in not.

[6] *Ibid.*, v. 233.

[7] *Ibid.*, v. 235.

aut illa *Aululariæ :*

> ... Mens conscia quærere verum [1]...

ex his Maronis versibus ducta esse :

> Utque viro Phœbi chorus assurrexerit omnis [2].
> ... Hedera crescentem ornate poetam [3]...
> Mens sibi conscia recti [4],

quæ in *Eclogis* et in primo *Æneidos* libro reperiuntur.

Quin etiam dulces illos ac teneros animi motus, quos maxime commendavit Virgilius, interdum Vitalis attentavit, atque illius summi poetæ quasi colorem quemdam expressit. Supremis enim verbis quæ protulit Euclio moriens, in externa regione atque uno comitante servulo, sua inest suavitas et jucunditas :

> Nos peregrinantes jam septimus invenit annus.
> Absumus a patria; tarda senecta nocet.
> Heu miror talemque locum mihi funeris esse;
> Nec de communi conditione queror.
> Lex est naturæ; solvi sociata necesse est;
> Dispensat sedem funeris ira Deum.
> Dulce mori in patria, dara (*sic*) dulcis oscula natis,
> Sortiri heredes, ponere cuique suum,
> Conjugis illabi lacrymis humerisque parentum,
> Ignibus imponi matre tenente facem.
> Funeris hic ordo est; hæc sunt solatia mortis,
> Si non pulchra satis, qualiacumque tamen [5].

[1] Vid. VIT. *Aul.*, v. 65.
[2] Vid. VIRG. *Eclog.*, VI, v. 66.
[3] *Ibid.*, VII, v. 35.
[4] Vid. *Æneid.*, v. 604.
[5] Quum multi alii Virgilii versus, tum illa præcipue verba Euryali matris in memoriam ea quæ supra retulimus legentium incurrunt :

> Hunc ego te, Euryale, aspicio, tunc illa senectæ
> Sera meæ requies...
> ..... Nec te sub tanta pericula missum
> Affari extremum miseræ data copia matri?

Sardana te solum mihi sors irata reliquit,
Meque tuo officio mater habebit humus[1].

Horatio autem magis quam Ovidio atque Maroni Vitalis studuisse videtur. Ab eo aliquod ingenii acumen multosque sales sibi vindicavit. His enim versibus aliisque plurimis apud Horatium similes inveniuntur quos longum sit referre atque supervacuum, cum omnium mentibus hæreant :

Non primo vivebat herus, sed pane secundo[2].
Pars est salva mei, salvetur ut altera quæso[3].

Cum autem poeta ille noster in pythagorea somnia invehitur dicens :

Odi Pythagoram, quia carnibus horruit uti
Et sibi cognatam credidit esse suem[4],

Horatiana ad illa verba procul dubio memoriam revocabat :

O quando faba, Pythagoræ cognata[5], etc.

Idem ex illo præstanti poeta Pantalabi[6] nomen Querulo servientis duxit, et ad ejus exemplum summam mor-

Heu! terra ignota, canibus data præda latinis
Alitibusque jaces! nec te, tua funera mater
Produxi, pressive oculos aut vulnera lavi.
Æn., lib. IX, v. 481-88.

[1] Vid. *Aul.*, v. 215-227.

[2] Vid. Vital. *Amph.*, v. 161, et Horat. *Epist.*, lib. III, v. 123 :

Vivit siliquis et pane recundo.

[3] *Ibid.*, v. 137, et Horat. *Od.* :

Et serves animæ dimidium meæ.

[4] V. Vit. *Aul.*, v. 64-65.

[5] Horat. *Satirarum* lib. II, vi, v. 63.

[6] Vitalis Pantomalum in Pantalabi nomen mutavit quod mutuatus est ab 8ª satyr., lib. I, v. 10 :

Pantalabo scurræ Nomentanoque nepoti.

tis potentiam atque vim expressit. Dixit enim in epistola ad Pisones Flaccus :

Debemur morti nos nostraque......
. . . . Mortalia facta peribunt[1].

Atque Vitalis in Amphitryone :

Omnia mors tollit; doctum cecidisse Platonem
Atque ipsum Socratem succubuisse ferunt.
Fama tamen vivet. Sed et hoc quoque morte peribit;
Omnia mors delet, omnia morte cadunt[2].

Sed cum insignes illi poetæ, Ovidius, Maro, Horatius, feraci eminentium in singulis artibus ingeniorum illa ætate floruerint, quæ poeticam omnemque latinam copiam ad summum laudis culmen perductam vidit, eorum carmina eximiam dictionis elegantiam atque integritatem retinent. Quibus nec par nec proximus utique fuit Vitalis. Incidit enim in hanc medii ævi noctem fœdissimæ inscitiæ caligine involutam. Homines quidem, multis jam ante sæculis, ab optimis litterarum studiis liberalibusque disciplinis barbarorum incendiis atque vastationibus aversi, omnem orationis sanitatem atque leporem dedidicerant, nec quisquam occidentalibus in partibus, quæ essent urbana aut inurbana, quæque pura et recta aut putrida et corrupta, dignoscere valebat. Nec proinde mirum est Vitalis carmina multorum vitiorum contagione esse infecta, neque iisdem eam inesse speciem ac venustatem quæ nativo quodam colore ac succo tincta, sanguine ac viribus nitens apud antiquos auctores ex omnibus latinæ copiæ virtutibus efflorescit. Multæ enim in ejus scriptis leves atque inutiles

[1] Horat. *Epist.* ad Pison., 63-68.
[2] Vid. Vit. *Amphit.*, v. 179-182.

sententiæ, quarum densitas, ut in satis atque fructibus arborum accidit, sibi invicem obstat, eæque sensus orationemque vel maxime intercidunt, nec paucas in hac infelici abundantia necesse est excidere insolentes, frigidas, ineptas, quas vix tolerare potest qui nec judicio nec recta voluntate caret. Sæpe etiam verba consequentia ab iisdem incipiunt litteris; crebro comparantur contraria, pugnantia conferuntur et idem ferit in cadendo sonus, quod nonnihil tædii afferre solet. Quæ vitia ex illis *Aulularicæ* versibus perspici possunt, cæterum quibusdam virtutibus non contemnendis admixta. Talia enim Querulus miseram sortem lugens profatur:

Hoc lare bina Lari data sunt altaria quondam
  Fortunamque laris fecimus esse Larem.
Ex tunc irata est nobis fortuna deoque
  Ipsi, pro miseris nil facit illa deis.
Mane tamen primo, dona, Lar sancte, rogamus.
  Nescio quid donet: nihil habet ille sibi.
Lar datus est tutela lari; malus est mihi tutor,
  Quem male si tuear, non bene tutus erit.
Qui tutoris eget, misere commissa tuetur;
  Si mihi Lar deus est, cur eget ille mei?...
Lar alium tibi quære Larem; nil mi dedit unquam
  Nec dabit humanæ relligionis opus[1].
Sic igitur servo, sic indignatus et ipsis
  Numinibus, Querulus omnibus hostis erat.

[1] Sunt ibidem illi versus non ita spernendi :

In lare servus edax Querulum premit, invidus extra
  Sic venit ex omni sors mala parte mihi.
Quam male Pantalabum Querulo sors invida junxit!
  Sum per eum Querulus; quod querar ipse facit.
Pransus habet causam mecum, cur sit pede nudo,
  Tanquam si sibi sim, non mihi natus ego.
Venter inexpletus cuivis jacet æquus acervo.
  Crescit edendo fames; dat cibus ipse famem.
C nsului medicos. Medici dixere bolismum
  Scilicet esuriem, quæ solet esse canum.
De consumptore medici fecere voracem.
  Perpetuam peperit addita cura famem.

Lar erat laturus opem; sed tristia fata
Qui lenire cupit, asperiora facit[1].

Quæ vero in *Amphitryone* et *Aulularia* jure reprehenduntur, vix ea Vitalis effugere potuisset. Quare profecto venia dignus est, et quanquam carmina minine perfecta, nec iis quæ perfecta atque absoluta sunt accedentia composuit, cursum tamen quemdam tenuit, primaque sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere. Optimis enim in studiis non iis locus est solis qui artis suæ aut scientiæ palmam tulere, sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos, et in iisdem rebus, ut ait Tullius, magna sunt ea quæ sunt optimis proxima.

[1] Vid. *Aul.*, v. 89-132.

CONCLUSIO.

Antiquitas suos etiam medio ævo, habuit amatores; et fuerunt illis temporibus non pauci qui, quum alios præstantes eximiosque poetas, tum in primis Terentium atque Plautum laudibus extollere solerent. Sed operum quæ ætatem pertulerant exemplaria, adeo rara erant ut vix reperirentur, nec nisi magno pretio emi possent [1], atque etiam memoriæ proditum est hos insignes poetas, Terentium nempe et Plautum a multis laudari solitos qui nun-

[1] Admodum pauca in usu erant xIo seculo veterum scriptorum exemplaria : « Le dixième siècle n'avait pas été suffisant pour réparer les pertes de livres qu'avait souffertes la France, dans les courses précédentes, les pillages, les incendies des Sarrasins, des Normands, des Hongrois, des Bulgares. Lorsqu'on eut travaillé à renouveler ces livres, ils étaient encore fort rares... ce qui rendait les études très-difficiles. D'ailleurs, n'y ayant presque que des moines qui s'occupaient à les copier, ils commencèrent par ceux qu'ils croyaient plus nécessaires : la Bible et les livres liturgiques, les écrits des pères, les recueils des canons. Ainsi il se passa du temps avant qu'ils pussent transcrire les historiens, les poëtes, les orateurs. Et le défaut de ces ouvrages contribua beaucoup aux mauvaises études et à la barbarie qui y régnait. On avait cependant de cette sorte d'auteurs, mais ils n'étaient pas communs. Un trait que l'histoire nous a conservé touchant le prix excessif des livres en ce temps-là nous doit faire juger de leur rareté. Encore s'agit-il d'un auteur ecclésiastique, le Recueil des homélies d'Aimon d'Halberstat. Grécie, comtesse d'Anjou, l'acheta deux cents brebis, un muid de froment, un autre de seigle, un troisième de millet, et un certain nombre de peaux de martre. Il fallait être riche pour former de nombreuses bibliothèques au même prix. » (*Hist. littér. de la France*, t. VII, p. 3.)

quam eorum fabulas perlustrassent, sed nomen tantum novissent. Quare sæpius eis scripta tribuebant quæ ad eorum imitationem rhetores elaboraverant atque emiserant, nomen proprium, alieno supposito, reticentes. Vitalis autem hujus modi errore deceptus, Querolum Plauti comici esse existimavit, et ad illius summi, ut putabat, poetæ imitationem sese contulit, cum tantum librum quemdam V° fere seculo exaratum in manibus habuerit. Veri etiam simile est eum incidisse in eumdem errorem, cum festivam *Amphitryonis* fabulam conscripsit. Nam Getam ex Athenarum scholis redeuntem, non magis quam Querulum Euclionis filium a Plauto desumptum esse crediderim. Sed librum quemdam Plauti nomen præferentem, nec multum forsan a Queroli genere diversum tum exstitisse suspicari licet, ad cujus exemplum Amphitryonem Vitalis expresserit. Quidquid id est, carminibus plurima is inseruit quæ non auctori debuit quem in exemplum intuitus est, quisquis ille fuit, sed ex seipso extulit felici quadam inventione; eaque pars operis longe optima Vitalis propria est. Qui cum inanes philosophorum controversias atque disputationes multis salibus ac facetiis insequitur, etiam nunc legentium animos, non sine voluptate, ad illa acerrima dialecticorum studia revocat, quibus noctes atque dies plerique tenebantur. Adde eum sese ad comicos veteres imitandos accommodasse, nec quemquam antiquiorem, excepta Hrotsuitha [1], proferri posse qui eosdem sequendos sibi proposuerit. Versibus quidem elegiacis, ut illis temporibus mos erat comœdiarum, carmina sua expressit. Sed cæteri qui tum hujus modi scripta

[1] V. Ed. du Méril, *Orig. lat.*, etc., p. 16.

in lucem edidere, *Amphitryonem* atque *Aululariam* non æquarunt, nedum superarent. Vitalis igitur primus fere viam iniit, in quam alii, progrediente tempore, longius processerunt, donec genus illud carminum insignes tragœdiarum comœdiarumque scriptores XVII° seculo ad summum perfecti fastigium perduxere. Cum autem ejus modi opera quæ maximum obtinuere favorem, quæque optima præstantissimi æstimatores judicavere, ex antiquorum imitatione ducta sint, aliqua commendatio iis utique tribuenda, quorum in iisdem curriculis olim impressa sunt vestigia.

Jam vero mihi liceat, suscepto labori finem impondituro, quasi uno cogitationis et judicii conjectu emensum spatium resumere, ita ut Vitalis pensatis vitiis et virtutibus, suum ei locum assignem. Non ille quidem eminentibus annumerandus ingeniis. Quæ tamen protulit carmina laude aliqua digna sunt, et idem, nisi me operis amor fallit, adscribendus eorum numero videtur qui de humanioribus litteris bene meruerunt. Illa enim tempora quibus scripsit adeo poeticis studiis infesta erant, ut vix reperirentur, qui legendi scribendique adepti essent facultatem. Ne igitur mireris eum a præstantissimi ingenii viris, quos sibi ad exemplar proposuit, adeo degeneravisse, sed potius habe prodigii loco aliquem utique exstitisse in altissimis XII ineuntis seculi tenebris, qui poeticæ elocutionis laudem quamdam assecutus sit. Itaque libenter ego confiteor Vitalis carmina vitiis abundare, iisdemque non dulcibus, ut Quintiliani verbis abutar; nec, quantumcumque est, venditandi poetæ studium, cui non nihil operæ insumpsi, eo insaniæ delabar, ut eum vel ex longinquo conferam cum Marone aut Nasone reliquisque insignibus

chori magistris, ac ne cum Ausonio quidem aut Sidonio Apollinari aliisque pluribus qui similem quemdam cursum tenuere, Vitalem componere in animo est. His enim contigit ut, litteratis ætatibus propriores, elegantius vel in nugis exprimendis eloquendi genus exhibuerint. Sed Vitalis saltem, quantum in eo fuit, magna antiquitatis ingenia imitatione prosecutus, nec optima illa studia pene ab omnibus derelicta omnino extingui passus est, lumenque ingeniosæ eruditionis non admodum indocta manu acceptum, pro virili parte retinuit ac fovit. In eorum ergo numerum referendus est, ad quos celebrandos transferri solet notissimum illud Lucretii poetæ :

Et quasi cursores vitaï lampada tradunt.

FINIS

INDEX

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Paris. in Sorbona
V Id. maii an. MDCCCLXXVIII
Facultatis Litter. in Acad. Par. decanus,

H. WALLON.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis rector,

A. MOURIER.

PARISIIS. — EX TYPIS E. PLON ET SOCIORUM VIA DICTA GARANCIÈRE, 8.